

num frumenti in terram sparserunt, ubi non modo non perit, sed germinavit et uberius revixit. » Dixerunt illi, ait idem Augustinus, in præfat. Psalm. XL. quando morietur et peribit nomen ejus? Id est, cui occiderimus eum, jam nomen ejus non erit in terra, nec seducet aliquos mortuus, etc. Mortuus est, et non perit nomen ejus, sed seminatum est nomen ejus: mortuus est, sed granum fuit, quo mortificato seges continuo exurgeret. Glorificato ergo Domino Jesu Christo cœperunt multo magis multoque numerosius credere in illum, et cœperunt membra ejus audire, quod caput audiebat. » Granum illud resuscitatum protulit culmum altitudine insignem, Ecclesiam fidelium amplitudine et altitudine, qua ad cœlum esse porrigit, omnia regna superantem. Protulit et spicam innumeris plenam cellulis, quæ sunt episcopatus, prælaturæ, monasteria, eremi, collegia, seminaria, parochiæ toto orbe diffusæ. Protulit et flores odoriferos, famam scilicet sanctitatis, primorum præsertim Christianorum, juxta id apostoli II. Cor. II. *Christi bonus odor sumus*. Protulit et gratias innumeras quæ sunt fideles et electi omnes, quos secum resuscitavit, dum eis resurrectionem ad vitam æternam suis meritis comparavit.

Gaudeamus igitur in Domino, qui nobis thesaurum istum absconditum hodie revelavit, et gravem illum lapidem ab ostio monumenti revolvit, ut jam non modo Dominum nostrum redivivum cernere, sed et nos post ipsum aliquando resurrecturos ad similem gloriam sperare possimus, cui sit honor et gloria.

CONCIO IV.

PAX VARIA A CHRISTO RESURGENTE ALLATA,
OVUM ALBUM.

I. Pax inter Judæos et gentiles. — II. Pax inter Christi discipulos. — III. Pax homini a dæmone. — IV. Pax homini a peccatis. — V. Pax inter homines. — VI. Pax a morte.

THEMA.

Pax vobis. Lucæ. XXIV.

Needum finis ovorum, auditores, quæ attulit nobis Christus e sepulcro redivivus. Rubrum et cæruleum vidimus, hodie nobis album exhibet. Id vero est pax optatissima, quam precatur nobis in hodierno evangelio, sed ipso resurrectionis suæ die, discipulis suis apparens: *Pax vobis, ego sum, nolite timere*. Albus color pacis est symbolum. Ideo enim angeli ad sepulcrum Domini

in albis vestibus sedentes apparuerunt. Seder enim pacificorum, stare pugnantium est. Olim quoque hoc usus obtinuerat, ut pacis petitio, nonnisi sublata alba veste firma et rata haberetur. Unde Aeneas, l. III. *Aeneid.* ex candore equorum, qui conspectu Italiæ apparuerunt, pacis omen accepit. Denique Tamerlanes ille obsidens urbem, primo die vexillum album, quasi pacis signum, si se dederent, prætebat. Christus igitur Dominus noster mortis triumphator, candidum vexillum hodie expandit, optatissimo omine, pacem nobis denuntians, salutem nostram quærens, Sed quænam illa pax nobis hodie allata? Ante Christum resurgentem variæ pugne homines vexabant, quas omnes dissolvit Christus sua resurrectione: sicque variam pacem tulit: uti jam videbimus.

I. Pugna erat inter Judæos primo, deinde inter gentiles, utrum Christus vere esset Deus et homo. Alii asserebant, alii negabant, et schismata atque hæreses inde ortæ sunt, Joan. IX. At Christus hodie resurgens pacem imperat, demonstrans se revera Deum et hominem esse; siquidem seipsum propria virtute a mortuis suscitavit, quod facere non potuisset, nisi Deus fuisset; sicut et mori non potuisset, nisi homo fuisset. Certe Areopagite quando audierunt Paulum disserentem de resurrectione mortuorum, Act. XVII. *Quidam irridebant eum, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum*. Habebant enim principium philosophicum, a privatione ad habitum non dari regressum. In morte autem sunt plurimæ privationes, v. g. non audire, non videre, non loqui. Quare stando in naturalibus, quamvis Deus poneret corpus defuncti integrum, cum omni perfectione organorum, et dispositionibus requisitis ad informationem; et poneret juxta id animam præbens et facultatem ingrediendi corpus illud, quod habebat prius: non posset ingredi anima, illudque resuscitare, tametsi maxime ad hoc inclinetur: quia sequeretur quod effectus esset melior sua causa (quod est contra rationem); anima, quæ foret causa, melior esset toto homine, qui esset effectus. Quod falsum esse constat: totus enim homo melior est sola anima, quæ est pars tantum hominis. Itaque opus hoc resurrectionis Christi opus solius Dei, et divinæ ejus potentie. Quando ipse resuscitavit mortuos tamquam Dominus imperans, ostendit se esse Deum: quando autem resuscitavit seipsum, ostendit se esse Deum et hominem; nisi enim, ut dixi, homo esset mori non posset; nisi Deus esset, resuscitare se non posset. Hinc Scriptura ipsum *resurrexisse* ait, alios *suscitatos esse*, ut advertit S. Bernardus,

sermone in pasch. Hinc etiam licet in ejus incarnatione B. Virgo ei cooperata fuerit, dando ei carnem, et Judæi in redemptione, crucifigendo eum, in resurrectione tamen nemo ei cooperatus fuit. Quis enim alius suscitavit eum, nisi ipse se? Hoc ergo signum omnium maximum et efficacissimum fuit ad probandam ejus divinitatem et humanitatem, quod promisit Judæis, quando signum Jonæ in se demonstrandum, et templi destruendi reparationem prædixit. Quando Elias suscitavit filium viduæ, non imperans sed orans, adeoque non sua, sed divina virtute dixit ipsa: *Nunc in isto cognovi, quoniam vir Dei es tu et verbum Domini in ore tuo verum est*, III. Reg. XVII. At cum Dominus suscitavit Lazarum aliosque mortuos, velut Dominus imperans, adeoque sua virtute, debebant dicere Judæi: *Nunc cognovimus, quia Deus es*. Dum vero audimus, quod seipsum ita suscitavit, dicendum nobis est: *Nunc cognovimus, quia vere Deus et homo es*. Itaque: *Pax vobis*, ait Dominus.

II. Pugna seu controversia erat inter Christi discipulos initio, an ipse vere resurrexisset. Quidam enim affirmabant, uti Petrus et duo illi reversi ex Emmaus: quidam alii dubitabant, alii mulieribus et Petro ac duobus revertentibus ex Emmaus non credebant. Thomas usque ad octavum diem mansit infidelis. Putabant etiam aliqui, quando eis apparuit, se spiritum videre. At Christus pacem imperat et facit, dum se tot argumentis probat vere a mortuis surrexisse, ut nemo, nisi pervicax et obstinata voluntatis homo contradicere possit. Etenim visibilem se et palpabilem præbuit, quod facere corpus gloriosum potest, prout vult vel non vult. Comedit cum discipulis: flatum seu anhelitum eis aspiravit: collocutus est, adeoque omnibus quinque sensibus redivivum hominem ostendit. Eadem effigies et plagæ quinque demonstrabant illum ipsum esse, qui crucifixus fuerat. Accedunt Scripturarum expositio, præteritorum dictorum repetitio, et in mentem revocatio, per quadraginta dies cum discipulis conversatio, propria asservatio, oraculorum impletio, angelorum testimonia; quæ omnia non quidem evidentiam veritatis faciunt, (hæc enim evertisset fidem ejusque meritum) sed evidentiam credibilitatis, quæ non obest merito fidei: licet beatiore illi sint, qui tot argumenta, ut credant, non inquirunt, teste Domini. Solam rationem naturalem sequi ducem velle, omnino est non credere; quare nemo prudens eam requirat. Itaque *pax vobis*; nemo iam dubitet de vera Christi resurrectione.

III. Pugna erat et quidem difficillima homini cum dæmone, qui ante Christum potentissimus

misere premebat humanum genus, et tetrus idolatriæ, auguriorum, oraculorum falsorum erroribus cæcabat, mutisque in se odiis concitabat: designatus per draconem illum (Pharaonem) Ægypti aquas conturbabat pedibus suis, et conculcabat flumina eorum; inquinabat enim suis illusionibus omnes vias et doctrinas hominum. Cui proinde dixit Dominus: *Expandam super te rete meum, et extraham te in sagena mea: projiciam te in terram, et super faciem agri abjiciam te; habitare faciam super te omnia volatilia cæli, etc.* *Tunc purissimas reddam aquas eorum, et flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus, Ezechielis XXXII.* Fecit hoc dæmoni Christus, quando expandit in cruce manus suas, sicque raptum et ligatum de potestate sua deiecit, et Christianis illudendum, ac quasi dilaniandum dedit; quo facto purissimas reddidit aquas et saluberrimas, dogmata videlicet et doctrinas, quas dæmon prius veneno errorum suorum infecerat. *Ipsæ enim pax nostra* (ad Ephesios II.) *pacificans sanguine suo, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt*, ad Colossenses I. Quantam ille stragem intulit humano generi, dum nonnisi humano sanguine pasci, et tot millibus hominum etiam charissimorum ne satiari quidem unquam voluit! Quot lacrymas parentum, filiorum, propinquorum provocavit! Quot aquas turbavit! Fuit adhuc Romæ usque ad tempora Honorii, adeoque ad auctoris etiam, qui id scribit (Sanctus Prosper Aquitanicus, de prædict. p. III. cap. XXXVI.) tale dæmonis ejusque sacrificulorum ludibrium, machina subterranea, draconis magni specie, quem humanis funeribus ceu pacis hostiis oportuit placare. Adornabatur in seia mali virgo, quæ floribus cæteroque mundo culta in subterraneum illum carcerem submittebatur, quasi draconi munus e floribus allatura. Quæ ubi in fallaci gradu pedem posuit, draco ille fictus exurgens machæram strinxit, et puellam qua attigit dissecut. Tandem ubi ludibrium hoc Christianis detectum est, monachus quidam obtinuit, ut in illud draconis cubile admitteretur; quo impetrato, pertentans baculo singulos gradus, deprehendit uno cedente mox exurgere stricto gladio monstrum illud, sed incassum: subducto enim corpore ictus gladii aerem ferit. Quare alia via infirma loci penetravit, et dolabrâ ligneam machinæ confregit, populoque suum, quod stolidè colebant, numen spectandum et execrandum proposuit; sicque urbem hæc servitute et cæcitate diabolica liberavit. Habemus hic specimen unum tyrannidis illius, quam draco ille magnus tenuit in homines. Sed hoc addendum, non quidem ita excisum esse draco-

nem illum, ut omnino in mundo non sit amplius, sed ita captum et constrictum esse, ut nemini nocere queat, nisi qui ad instar puellæ illius, ultro ad eum accedere et flores porrigere, cum eo communicare, ejus consilia et opem implorare, magicis rebus uti, consensum blandienti et tentanti dare velit.

IV. Pugna homini erat cum peccatis propriis, quæ ipsi carnificum instar erat, quia semper dubius hærebat an et quando ipsi remissa essent: proinde quasi sagittas et corpori infixas gereret, requiem non habuit. Unde queritur David in peccato existens Psalm. XXXVII. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi.* Et mox: *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.* Proinde desideravit audire aliquem, qui diceret ipsi remissa esse peccata, Psal. L. *Auditui meo dabis gaudium et lætitiã, et exultabunt ossa humiliata.* Et obtinuit tandem illam, quando ex ore Nathan a Deo ad se misso audiit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum,* II. Reg. XII. Sed hæc gratia singularis fuit, aliis ante Christum non contigit. At Christus huic pugnae cogitationem invicem accusantium ac defendentium, ut ait Paulus ad Rom. II. pacem imperat et affert in die resurrectionis suæ, quando suis apostolis potestatem remittendi peccata dedit. Postquam igitur reatus nostros aperuimus judici nostro spirituali, et audivimus ab eo: *Absolve te;* jam indicium habemus certum ex parte Dei, nos Deo reconciliatos esse, sicque pacem cordis acquirimus. Unde communiter confessarii addunt quod Christus Magdalena reconciliatæ dixit: *Vade in pace,* q. d. esto jam quies in corde tuo. Pulchrum hujus beneficii typum exhibuit Deus, quando Ezechiaæ ægrotanti sanitatem promisit per prophetam, signumque ejus conferendæ petenti, soli imperavit, ut decem lineis retrocederet, IV. Regum XX. Quid enim Ezechias æger nisi peccatorem morti addictum indicat? Et quid solis retrocessio per decem lineas, nisi sacramentum penitentia, in quo peccator per decem præceptorum lineas retrorsum ire debet, præterita peccata in memoriam revocando, et ex ore rursus evomendo in confessione, quæ prius velut aquam biberat? Intrarunt enim *sicut aquæ in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus ejus,* Psalm. CVIII. Tunc certum habebit signum remissorum sibi peccatorum, cum audiet: *Ego te absolvo.* Tunc pacem cordis habebit. Additum emplastrum de ficibus et positum super ulcus, penitentia seu pœna injuncta est levis et suavis.

V. Pugna et discordia erat inter homines; quando nullo solido fœdere colligati omnes quærebant, quæ sua sunt; et quia bona mundi in-

ter tot divisa sæpe non sufficiunt, unus abundabat, alter indigebat, hinc lites et contentiones existebant. At Christus hodie pacem imperat facitque, dum in se medio suorum constituens ait: *Pax vobis.* Vult enim dicere: Ego media in Trinitate Persona, mediator vester sum, et acquisivi vobis cælum sanguine meo, ubi omnes abundabitis, et habebitis quidquid vultis. Pax enim apud Hebræos significat omne bonum. Quare sicut frater filii prodigi non habebat cur fratri invideret gratiam a patre factam, quia *Omnia mea tua sunt,* ait illi pater: ita nemo fidelis alteri quidquam invidendi causam habet, quia Dei sumus hæredes, cohæredes autem Christi. Ad Romanos octav. Rursum dicere vult: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat,* omnibus dare necessaria et succurrere paratus. Id quod etiam ante passionem discipulis suis ita præstitit, ut sæpius inter se contenderent, *Quis eorum videretur esse major:* omnes enim et singulos tanta benevolentia complexus fuit, ut singuli existimarent, se præ cæteris ei dilectos esse. Quare contentionem inter eos hac de causa ortam sic sedavit: *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat,* Lucæ XXII. Quid vero amplius quærimus, si Christum æque nobis vicinum et ad opitulandum paratum habemus? Eo destituti nihil habebimus atque alii? Nonne habito Christo omnia habemus? Lineæ ex circumferentia ad centrum ductæ, omnes æquales sunt. Vult dicere denique: *Omnes enim fratres estis,* ego autem pater vester; pacem ergo conservare debetis. Ita enim argumentantur filii Jacob, cum a Josepho arguerentur, ne forte proditores essent: *Omnes filii unius viri sumus, pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali,* Gen. XLII.

VI. Pugna erat inter homines, an mors terribilis et metuenda esset. Aliqui enim qui censebant animam cum morte extingui, ut plerique gentiles, terribilium omnium terribilissimam dicebant, ideoque velut summum malum metuebant. Alii, qui immortalem quidem animam credebant, ad tenebras tamen descendere post mortem usque ad Christi adventum et resurrectionem ex Scripturis notabant: unde cum tristitia mortem obibant. Miseri alii velut malorum finem optabant et læti amplectebantur. Quid Christus? Pacem imperat et facit: mortis triumphator, qui hodie resurrexit ad immortalem gloriam corpore et anima glorificatus, denuntiat nobis mortem piorum fidelium esse somnum et nativitatem potius quam mortem. Ita enim de se canit Christus, Psalm. III. *Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi.* Similiter piorum mors appellatur *exitus et iter,* ad cæ-

lum, Sapient. III. *Æstimata est afflictio exitus illorum: et quod a nobis est iter exterminium: illi autem sunt in pace.* Sicut ergo exitus Hebræorum ex Ægypto lætissimus fuit, quia iter ad terram lacte et melle manantem: ita mors fidelium exitus est e tenebris et servitute, et iter ad cælum; ubi pax est sempiterna. Magna pace fruitur, qui hostem sibi jam subjectum habet, eoque utitur pro mancipio, sicut Sapores rex Persarum, qui victo Valeriano imperatore pro scabello usus est in equum ascensus: et Sesostres, cujus currum captivi reges trahebant. At hoc nobis jam per Christum resurgentem facta est mors, scabellum, inquam et vehiculum ad conscensum cæli. Hinc S. Chrysostomus, hom. IV. ad Hebr. invehitur in illos, qui defunctos fideles quasi extinctos plangunt. Ideo enim ait in exequiis et funebribus accendi festivas lampadas, ut sicut athletæ producantur: addi hymnos et psalmos, ut Deo gratiæ agantur, quod discedentes jam coronari: *Omnia ista gaudentium sunt,* inquit. Quod si Jacob dicere potuit ad Joseph filium: *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam,* Genes. XLVI. et si Simeon canere: *Nunc dimittis servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum,* cum tamen adhuc ambo descenderent in limbum patrum; quanto magis lætari in morte Christi poterunt et in pace mori, qui sciunt se ad Christum ire? Hinc senex quidam in Scythia moriens, circumstantibus fratribus, repente aperuit oculos et risit; et hoc iterum ac tertio. Cum autem rogarent eum fratres, cur rideret, respondit: *Primo risi, quia omnes timetis mortem: secundo risi, quia non estis parati: tertio risi, quia de labore vado ad requiem,* Ruffinus Aquileiensis apud Rosweid. lib. III. vit. pp.

CONCIO V.

VARIA PAX OPTATUR IN REBUS VARIIS.

I. Pax in anima. — II. Pax in conscientia. — III. Pax in domibus. — IV. Pax in conjugio. — V. Pax in civitate.

THEMA.

Pax vobis. Luc. XXIV.

Mos salutandi et bene precandi apud Hebræos receptissimus fuit, pacem precari, quem observavit etiam Christus in hodierno evangelio, observant apostoli in suis epistolis, necnon in congressibus humanis. Denuntiare autem pacis vocabulo intendebant, non quietem ab hoste solum, sed ab

omni adversitate, adeoque precabantur omnem prosperitatem, quia pax bonum universale est, ad omnia necessaria; sine qua nemini prorsus bene esse, imo nec mundus stare potest: ut ostendit S. Gregorius Nazianz. orat. I. de pace: quemadmodum nec regnum diaboli; ut dixit Dominus, Luc. XI. Hanc ego pacem ad omnia utilem, et per omnia necessariam vobis auditores hodie ex ore Domini nostri precabor in sermone.

I. Pax vobis in anima, quam optare videtur apostolus Colossensibus, cap. III. cum ait: *Pax Christi exultet in cordibus vestris, Græce imperet, moderetur, gubernet.* Hæc pax habetur, quando quis compositos et sedatos rationique subjectos habet omnes animi motus et passiones; quæ sane pulcherrimum est donum, quale est cum quis navigat in tranquillo mari, nullis adversis ventis, nullis fluctibus agitato. De qua etiam locutus est apostolus ad Ephesios II. dicens: *Ipse (Christus) est pax nostra, qui fecit utraque unum,* hoc est, carnem et spiritum ita inter se unuit, ut caro velut ancilla per omnia pareat spiritui velut dominæ, quemadmodum exponit venerabilis Beda: *Erit, inquit, in te pax, cum devicta in te vitia cuncta virtutibus favere docueris; et membra, quæ fuerunt arma iniquitatis peccato, feceris arma justitiæ Dei.* Qui hac pace gaudet, velut rex quidem imperat in corpore, et anima sua, uti indicat Dominus, Lucæ XVII. cum ait: *Regnum Dei intra vos est,* quando scilicet ratio gubernat et moderatur omnes animi motus juxta legem Christi. Quale fuit regnum Adami in paradiso; cum dominabatur omnibus animalibus, et ad ipsius nutum parere ei cogentur: tale est hoc imperium hominis, cui subjacent ac parent animi passiones, et quemadmodum Adam eo tempore fuit vir ex omni parte perfectus: ita etiam censetur perfectus esse ille, qui tale in animo imo imperium habet. Unde S. Ambr. lib. de Jacob et vita beata, cap. VI. ait: « Perfecta virtus habet quieti tranquillitatem et stabilitatem, ideo Dominus donum ejus perfectioribus reservavit, dicentis: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Perfectorum enim est non facile mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari suspitione, non terrore contenti, non dolore vexari: sed quasi in littore tutissimo adversus insurgentes fluctus sæcularium procellarum mentem immobilem fida statione placare. Hoc firmamentum christianis mentibus Christus invexit, etc. » Cui accedit S. Basilius, in Ps. XXVIII. hom. I. « Benedictionis divinæ species pax perfectissima esse videtur: cum status sit mentem procul intemperie omni constabiliens: adeo ut

pacificus vir hoc insigni tamquam propriis notis internosci possit, siquidem sedatis est et peramensis moribus; contra, qui adhuc compugnantium affectionum fatigatur intemperie, is nondum effectus particeps est divinæ illius pacis, quam Dominus suis dedit apostolis. » Miser est revera, qui hac pace caret: in mari enim navigat tempestatibus agitato: habet in domo, in qua stulta famula principatur dominæ, et Eva dominatur Adamo.

II. Pax vobis in conscientia, quam optat apostolus ad Philippen. IV. dicens: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu*, id est, ut ex gr. tex. ut intelligi non possit. Custodit enim corda, imprimis ab omni tristitia et melancholia, instillans in mentem jure et ineffabile gaudium juxta id Prov. XV. *Secura mens quasi jure convivium*. Quis in splendido convivio non obliviscitur curas et tristitias? Certe eas bona conscientia opprimit et contemnit. « Quemadmodum si brevem scintillam, inquit S. Chrysost. hom. XXV. ad pop. in lacum dejeceris profundum, statim extinxeris: itidem et omnis tristitiæ superabundantia in bonam missa conscientiam extinguitur et facile deletur. Propterea quidem et Paulus semper gaudebat: quoniam interius secundum Deum confidebat, neque tot malorum cupiebat sensum, sed dolebat quidem ut homo: non tamen cadebat. » Talis enim conscientia seipsum pacem habere cum Deo, se esse Dei amicum, Deum se habere patrem et quidem amantissimum, cæli hæredem se conscriptum, etc. qua igitur ratione tristitiæ locum dabit? Hinc S. Tiburtius M. ad tyrannum: *Omnis nobis vilis est poena, inquit, ubi secura comes est conscientia*.

Secundo, custodit corda ab omni hostili incursione, demonum præsertim; faciens nos non modo inexpugnabiles, sed etiam terribiles, et formidabiles: *Quis enim*, ait Ambr. in ep. ad Philipp. IV. *non metuat eum, quem scit Dei esse amicum?* Demonstratum in ipso S. Amb. de quo Innoc. quidam haruspex, cum maleficorum causa torqueretur a iudice, edixit misisse se demones, qui illum necarent, sed demones renuntiassent, se non solum ad ipsum appropinquare minime posse, verum etiam nec ad fores domus, in qua manebat episcopus, quia ignis insuperabilis omne illud ædificium communiret, ut etiam longe positi urerentur. Ita Paulinus pres. in ejus vita. « Per idem tempus, addit idem auctor, cum vir illustris Probus, puerum suum notarium qui spiritu immundo graviter vexabatur, direxisset ad episcopum, egressum urbe dimisit diabolus, timens ad virum sanctum

perduci. Atque ita puer quam diu Mediolani apud episcopum fuit, nulla comminatio diaboli apparuit. Sed ubi egressus Mediolano est et prope urbem pervenit, idem spiritus, qui illum antea habuerat, vexare cœpit. Qui cum interrogaretur ab exorcistis, cur quamdiu Mediolani fuit non in illo apparuisset, confessus est diabolus timuisse se Ambrosium, et ideo recessisse ad tempus atque expectasse in illo loco, ubi ab illo recesserat, donec reverteretur: quo revertente, vas quod deseruerat, repetiisset. » Quam vero imperterrito esset animo contra imperatores diraminantes, patet ex variis ejus scriptis. In orat. ad Mediolanenses in Auxentium ait: « Circumfusi milites, armorum strepitus, quibus vallata est Ecclesia, fidem non terrent meam. » Et infra: « Non metuit arma, non barbaros, qui mortem non timet, qui nulla carnis voluptate retinetur. » Et lib. V. epist. LIII. minanti sibi Calligono, præposito cubiculi imp. ac dicenti: « Caput tibi tollo, » respondit: « Deus permittat tibi ut impleas, quod minaris. Ego enim patiar quod episcopi, tu facies quod spadonis. »

III. Pax vobis in vestris domibus. Hanc precatus est suis Dominus, cum essent simul in una domo conclusi, et inter se de sua resurrectione dissidentes, Petro et duobus, qui ex Emmaus redierant asserentibus, cæteris needum credentibus, uti Mar. scribit. Dum ergo sic inter se contendunt, venit Dominus, et dirimens litem ait: *Pax vobis, ego sum*. Hanc eandem pacem ut precarentur hospitibus, ad quos diversuri erant apostoli, præcepit eis, Matth. X. *Intrantes domum, salutate eam dicentes: Pax huic domui*. Quibus verbis S. Hieron. pacem proprie sumi vult pro ea, quæ discordiæ est contraria: *Pacem imprecamini hospiti*, inquit, *et quantum in vobis est, discordiæ bella sedate, etc.* Vidit nimirum Deus, quantum in domo bonum sit pax domesticorum, et quantum malum eorum dissidium. Etenim pax Hebræis non solum significat omne bonum et omnem prosperitatem, sed revera etiam inferre solet; unde eam antiqui cum cornucopia pinxerunt: quia causa est abundantiæ. Ad hæc ubi pax est, ibi Christus est, quia *in pace factus est locus ejus*, Psal. LXXV. et: *Ubi sunt duo vel tres consentientes in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, ait Matth. XVIII. Quod imprimis docere mundum voluit, quando eo tempore nasci, quo pax in toto orbe fuit, ut observat ven. Beda in comment. in Luc. II. « Pacatissimo sæculi tempore procreatus, ait, quia pacem magnopere quæret atque amaret, edocuit, quia pacis charitatisque sectatores semper invisere dignaretur, indicavit. » Idem hoc præstitit sensibiliter in

oratorio S. Petri, quod in aula Clodovæi regis Fr. regio cubiculo contiguum erat. Cum enim S. Remigius præparaturus regem ad baptismum verba salutis præsentem rege ac regina cum aulis exorsus esset, repente lux copiosa totam replevit ecclesiam, et e luce vox pariter intonans: *Pax vobis, ego sum, nolite timere, manete in dilectione mea*. Mox subtracta luce incredibilis odor suavitatis eadem in æde remansit: prorsus ut auctorem pacis ac lucis eo venisse nemo dubitaret. Ita Hincmarus archiepiscopus Rhemensis, in ejus vita apud Lipel. I. octob. Porro sicut Christus in domo pacis vult habitare, et gratiam suam effundere: ita etiam mater ejus benedicta. Colligimus id ex sancta ejus ædicula, quæ ex Lauretana silva postquam a prædonibus infestari cœpit, emigravit in collem. Secundo, fratrum Recinetensium, qui concordibus animis eum possidebant, quasi approbans et confirmans verbum Filii in matre: *Ubi duo vel tres, etc.* Verum ubi ditata mirum in modum ædicula uterque emolumentum adtrahere incepit, et cum alteratione congressi, ab irarum certamine ad arma venere, nec procul abesset, quin Germani fratres augustissimam cellam fraterno cruore respergerent, tum ecce ab eo loco ad jactum sagittæ in proximum alium collem novo miraculo recessit, uti refert Tursellinus, lib. I. c. VIII. Bene ergo Dominus, quando præcepit discipulis ut pacem precarentur domui, in quam ingressuri erant, addit: *Et siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos*, Matth. X. Vel ut S. Lucas ait: *Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra, c. X. q. d. afferetis vobiscum in eam domum meam benedictionem et omnem prosperitatem; sed si ea respuat vos, et pacem meam, fugiet ab ea pariter omnis benedictio, et remanebit eis maledictio, uti subjicit: Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæorum in die judicii quam illi civitati*. Sunt in quibusdam civitatibus designatæ domus suæ, una cæli vel paradisi, altera inferni nomine. Vultis scire, quæ domus sit paradisi? Ubi pax hospitatur. Quæ sit inferni? Ubi pax exulat et discordia dominatur.

IV. Pax vobis in conjugio, quam Annæ precabatur Heli sacerdos, I. Reg. I. *Vade in pace et Deus Israel det tibi petitionem tuam, etc.* Quinimo precatus est ipse Deus, quando ex latere Adami dormientis formavit ipsi conjugem. Cur enim ex latere? *Ut et eandem in illis esse naturam demonstraret, et naturalem quamdam benevolentiam mutuam in illis insereret*, inquit Theodoretus, quæst. XXX. in Gen. *Et ut firmam et insolubilem debere esse ostenderet unici conjugis charitatem,*

ait Rupertus, lib. II. in Gen. c. XXXIV. Sed cur ex latere dormientis? *Ne sentiendo dolorem, mulieri ex se formatæ postea doloris memor insensus fieret*, inquit D. Chrys. hom. XV. in Gen. Rarum quidem est hoc inter conjuges donum stabili perseverantia, juxta veterem paræmiam celebratam a S. Hier. I. I. contra Jov. *Qui non litigat, celebs est*. Verum quo rarius, eo charius. Quod enim est mare tranquillum vel tempestuosum navigantibus, hoc est pax vel discordia conjugibus. Unde S. Chrys. hom. XIX. in I. ad Corinth. « Quando, inquit, domi inter maritum et uxorem fuerit dissidium, non melius se habebit domus, quam navis agitata tempestate, dissidente gubernatore ab eo, qui regit proram. » Et quemadmodum in hujusmodi dissidio ac tempestate navis exonerari solet projecto omni comæatu et pretiosis mercibus; ita in conjugio litigioso omnia pessum eunt, et parta dilabuntur. Porro ut hanc pacem consequantur conjuges, vir in primis consulenti uxori facilis assentiatur, quomodo Abraham Saræ postulanti, ut ancillam, discordiæ causam, ejiceret, placide consensus dicens: *Ecce ancilla tua in manu tua est*, Gen. XVI. Quo loco D. Chrys. hom. XXXVIII. ait: *Hæc in uxorem indulgentia, pace domum replevit*. Deinde uxoris defectus toleret, multa dissimulet, pauca notet ac perstringat; *Qui enim nescit dissimulare, nescit regnare*. Uxor etiam studeat viro facile assentiri in quibuscumque rebus licitis. Audiant Chrys. hom. IV. in II. ad Tit. « Præcipuum, inquit, illud est domesticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, si uxor viro per omnia consentiens sit. Nam ubi hoc sit, nihil triste contingere potest. Quo pacto enim, cum caput corpori connexum conjunctumque sit, nulla ibi seditio, nulla dissensio possit exoriri? Necessario projecto reliqua omnia in pace sunt. Principibus namque pacatis, qui jam pacem dividere possit atque descendere? Quemadmodum e contra his invicem dissentientibus nihil salubre esse poterit, totaque nutabit familia. » Docuit hoc natura non obscure: dum viro vocem gravem et profundam, quasi fundamentum pacis, mulieri vero gracilem, subtilem et altam dedit. Norunt autem musices artis periti, vocem profundam seu bassum, basin ac fundamentum esse cæterarum debere, ita ut reliquæ altiores voces ipsi, non ipse aliis conformari debeat in cantus compositione, alioquin consonantia peribit. Quoniam igitur mulier natura sic jubente altum vel discantum loquitur, vir vero bassum; clarum est ipsam viro consentire debere, si jucundum in conjugio concertum, si pacem habere velit.

V. Pax vobis in civitate et quacumque com